



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 4. Linguae Anglorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *Quantitas Angliae.*

Longitudo eius excurrit à Promontorio Vinternonio, *Vintern* in Nortfolciâ, ad Bellerium, *la pointe de Cornouaille*, quæ distantia reuocata ad maiorem circulum reddit 400. M. P. Geometricorum, hoc est Anglicas communes circiter 317.

Latitudo à Prom. Dartio Dart ad Baruicum Baruuic Scotiæ limitem, ac proinde excurrit ad 350. M. P. seu Anglicas communes circiter 300.

De *Circitu* non est facile statuere, ob crebra æstuaria, quibus lacinatur. De eo tamen si pingui mineruâ loqui voles, assignabis ei præter propter 800. M. P.

§. 3. *Qualitas Angliae.*

T O T A Regio humidior est, quare hyeme minus frigida, humore retundente frigus. In cå vigesimo primo quoque anno pestilentia desævit, ob æstum altiorem septimi cuiusque anni, qui post tertium septennium longè maximus est. Tum enim diutius stagnantes aquæ computrescunt, & pestem certissimam inducunt.

Vexantur etiam indigenæ à Coturnicibus segetes effodientibus.

Lupis caret Anglia, non ex Regionis naturâ, sed nobilium curâ, & venationibus: sed potissimum quia alias scelerati, lupi capitæ, pœnam capitis redimere iussi, eos exterminarunt.

Oves econtrà hic plurimæ, velleris exquisitissimi, sed caro minus sapida, quam Gallicarum.

Equi denuque velocissimi hinc accersuntur Tolotarij vulgo *Guilledins* omnes castrati: non quòd Rex timeat ne ex iis proles suscipiatur, sed quia integri fœgnes sunt, aut minus expediti.

§. 4. *Lingua Anglorum.*

GERMANICA lingua vulgo *God* tria continet præcipua idiomata, seu primas Dialectos Teutonicam, Saxoniam, & Daniam, quæ iterum in secundarias dialectos diuiduntur, ut antè præ-

monuimus; Saxonica iterum distinguitur in Saxoniam propriam dictam, quā Germanici Saxones vntuntur, Anglicam, & Scoticam. Anglicæ corrupta est additis aliquot vocibus Britannicis, imd & aliquot Francicis, ex quo Nortmanni in cā insulâ rerum potiti sunt.

§. 5. *Mores Anglorum.*

MULIERES hīc paulò liberiiores esse dicuntur, & nihilominus castæ. Viri bellatores optimi, olim sagittarij nunc fistulatores certissimi, periculorum ad furorem vsque contemptores. Si tamen cibaria desint, nihil illis mollius. Naucleri experientissimi, & Turcis ipsis formidabiles, ideoque *Tyranni maris* appellantur. Apud eos parum durant bella ciuilia, quoniam illicè deuictæ partis Dux cæditur. In bellis contra exterros vbi de summâ rerum agitur vexillum explicant quod vulgò Standartum vocant *l'Efendari*: Est autem Standartum currus in quo malus summæ altitudinis in cuius apice crux ex cuius brachiis vexillum volitat. Nobiles ferè in agris degunt. Apud eos omnia bona primo-genito cedunt, cæteris amor fratri, & gratia relinquitur. Puerorum nobilium tutela ex Rege pender, quæ vulgò alicui Aulico gratioso committitur, qui pupillo malignè necessaria suppeditat. Latrones hīc, & Grassatores raro in vitam desæuiunt. Domini in seruos acerbissimi creduntur Angli. Cætera quæ de iis sparguntur, conuicia potius censenda sunt, quām morum obseruationes.

§. 6. *Politia Anglorum.*

VIX Angli Saxones ex ciuilibus bellis emerserant, cùm à Danis piratis Regio miserandum in modum deformata est. Porrò hi Dani aliquando vieti, aliquando victores has prouincias vexaure vsque ad Eduardum Confessorem, sub quo summa tranquillitas parta est. Sed cùm hic sine liberis mortuus esset, multis hæreditatem prensantibus, vnâ victoriâ Guilielmus Nothus Nortmannorum Dux, cognomento Conquestor, hoc sibi regnum peperit, & ad suos in hanc vsque diem transmisit.

Porrò status hic videtur esse ex Monarchico, & Aristocratico temperatus. Multum enim hīc potest Pananglium *le Parlement*, &